

ak. 267,47

Z d
6232

AD

ORATIVNCVLAM,

IN MEMORIAM

IO. CHRIST. RICHTERI

AVDIENDAM,

INSPECTORES ET FAVTORES SCHOLAE

SVMMPERE COLENDOS,

ET INTER EOS

VIRVM SVMME VENERABILEM,

M. IO. GOTTLOB RICHTERVN,

PASTOREM VRBIS NOSTRAE PRIMARIVM,

SVPERINTENDENTEM, ET INSPECTOREM

SCHOLAE FREYBERGENSIS,

NVPER CREATVM,

PIE ET PEROFFICIOSE INVITAT


M. CHRISTIANVS FRIDERICVS IVINGERVS,

RECTOR.

FREYBERGAE,

TYPIS BARTHELIANIS.





AD

VIRVM SVMME VENERABILEM,
M. IOANNEM GOTTLOB RICHTERVM,
PASTOREM PRIMARIVM ET SVPERINTENDENTEM,
SCHOLAEQVE INSPECTOREM,
EPISTOLA.

Patrone, summo honoris cultu Prosequende,

Haud ita pridem, cum speciminibus alumnorum nostrae scholae emendandis vacarem, incidi in locum *Horatii Carm. L. IV. Od. V.* ubi ad Augustum poeta scribit:

Lucem redde tuae, dux bone, patriae;
Instar veris enim vultus ubi tuus
Affulsit populo, gratior it dies,
Et soles melius nitent.

Et casu quodam felici hunc in locum eo tempore incidi, quo de munere sacro *Tibi* demandato, quod propediem aditurus esses; et praecipue de ea muneris *Tui* parte, qua scholam nostram tuerere, simulque de ratione *Tui* salutandi, cum primum scholam nostram aditurus esses, cogitabam. Hic ego mox sic mecum ipse: Quid impedit, quo minus novum scholae nostrae *Praesidem Dignissimum* sub introitum ejus in scholam nostram verbis ex *Horatio* desumptis salutem paullulum immutatis:

Lucem redde scholae, DVX BONE, patriae.

Nam abhinc sex circiter menses orbatae *duce bono*, GRVNDIGIO beate defuncto, Musae nostrae lugebant, siquidem scholae nostrae *lux*, sive salus et prosperitas hoc *duce* nobis erepto vacillare videbatur. Simulac autem ad nos fama perlata est, *Te, Vir Summe Venerabilis*, in locum defuncti electum esse, quem vere *ducem bonum* futurum, et *lucem* s. salutem scholae nostrae redditurum, diligenterque curaturum esse, non incassum mens augurare videbatur, quid mirum, conceptum ex obitu GRVNDIGII nostri dolorem mox mitigatum fuisse, in ejusque locum hilaritatem mentis svavissimam successisse? Et quemadmodum hoc ipso veris tempore, in quo nunc vivimus, *Horatii* verba locum habent, siquidem *Gratior it dies, et soles melius nitent*, ita ego quoque



quoque certo sperabam fore, ut cum vultus Tuus nobis praeceptoribus, scholaeque nostrae alumnis adfulsisset, gratiores irent dies futuri, et soles melius niterent.

Hisce igitur omnibus accede ad nos, *Dux bone*, bonis avibus, quem quidem nos, *Tui* cultores, tanto laetiori vultu venientem accipimus, quanto certius confidimus, eventum expectationi nostrae non modo responsum, sed et eam superaturum. Accipe nos, *Tibi* deditos, in tutelam *Tuam* ita, ut vultu *Tuo* placido serenoque labores magistrorum in commodis juvenum curandis leviores, auctoritate vero *Tua* gravi studium discipulorum in artibus liberalibus addiscendis alacrius reddas, et in universum scholae nostrae salutem et incolumitatem *Tibi* semper commendatam habeas. Quod cum a *Te*, *Vir maxime Venerabilis*, vehementer etiam atque etiam rogo, tum vero, ut, quae ratio temporis huic invitationi meae addere cogit, animo placido atque mihi perlegas, maximopere obsecro.



Tanta est temporum iniquitas, ut superioris pariter et inferioris ordinis homines de religione magna cum libertate sentire et loqui non vereantur. Quid? quod haec sentiendi, et animi sensus aperte praefere ferendi libertas inter documenta ingenii subtilis et educationis liberalis referri solet. Vnde a prima statim infantia talis licentia hominum animis permittitur, nec desunt patres, qui cum ipsi purioris et a majoribus nostris propositae doctrinae, quam quidem nimis rigidam appellare et severam confecerunt, parum faveant, liberorum etiam suorum animos praeceptis de religione facilioribus et commodioribus imbui velint. Duplex inde plerumque nascitur incommodum. Primum, si semel de nonnullis religionis capitibus dubitandi libertas permittitur, sensim de pluribus atque adeo de omnibus, quae facultatibus ingenii sui plane cognoscere et percipere nequeunt, aut quae ad coercendas cupiditates pertinent, dubitant. Ita religionem sibi fingunt, qualem sine sacrarum litterarum usu quilibet naturae, satis interdum corruptae, ductum secutus fingit et probat. Quid inde mirum, mox omnem revelationis divinae in rebus ad religionem pertinentibus necessitatem negari, et homines nihil amplius ad religionem referre, quam quod ope solius rationis adsequi possunt? Alterum priore multo perniciosius incommodum est hoc, quod tales dubitationes facile ad religionis universae contemptum seducunt, siquidem homines deum sibi fingunt adeo mitem et placidum, ut quolibet cultu contentus intentiorem in se colendo curam minime poscat. Simulac ejusmodi neglectus religionis animum occupavit, homo omnis severae doctri-

doctrinae jugum excutit, neque solum, dei cultum omittit, sed et a sanctiori vita deficiit, et morum integritatem fusque deque habet, et cum semel deum pie et sancte vereri deserit, mox etiam obedientiam magistratui, aliisque, quorum curae commissus est, praestare recusat.

Haec est temporum nostrorum facies, misera profecto et deploranda, siquidem nunc juvenum plerique non de quibusdam tantum religionis capitibus dubitant, eaque ad felicitatem suam in hac pariter, et altera vita minus necessaria putant, sed universam adeo religionem contemnere, publicum in templo cultum deserere, conventibusque sacris non amplius interesse incipiunt, et cum alii pii homines eo conveniunt, conventus interea clandestinos frequentant, et actionibus ludicris, atque adeo scelestis tempus consumunt! Quis igitur dubitet, quin opus sit intentiore cura juventutem de religionis necessitate monere, et reverentiam erga deum illi, quam fieri potest, maxime commendare? Maximam profecto huic admonitioni vim addere possunt exempla ex antiqua historia desumpta, inter quae vix memorabilius adferri potest, quam exemplum Cyri majoris, olim regis Persarum et hujus monarchiae conditoris, inter veteres principes longe celeberrimi, cujus res gestas inde ab infantia usque ad mortem in egregio illo libro, qui titulum *Κύρου παρτιάς* habet, XENOPHON exposuit.

De cujus in hoc libro componendo consilio jam inter veteres variae fuerunt opiniones. Platonem forsitan secutus CICERO ad *Quintum fratrem* L. I. Ep. I. de libro hoc Xenophonte sic judicat: „Cyrus ille a Xenophonte „non ad historiae fidem scriptus, sed ad effigiem justi imperii, cujus summa „gravitas ab illo philosopho cum singulari comitate conjungitur, quos quidem libros non sine causa noster ille Africanus de manibus ponere non „solebat. Nullum est enim praetermissum in iis officium diligentis et moderati imperii.„ Hujus auctoritate sine dubio permoti Iosephus Scaliger, Dion. Petavius, Gerh. Io. Vossius, alique Cyropaediam non inter veras historias, sed inter elegantes fabulas referendam esse censuerunt. Veriora nimirum viris his de Cyro narrasse videntur Herodotus et Ctesias, quos Diodorus Siculus, Trogus Pompejus, ejusque epitomator Iustinus sunt secuti. Neque tamen desuerunt, qui Xenophontem a falsitatis et mendacii crimine absolverent, inter quos sunt Vsserius, Dupinus, Bossuetus, Prideauxius alique magnae auctoritatis viri, et de re historica si judicium ferendum est, facile principes, utpote historiae scribendae ipsi peritissimi.

Difficile non est, hanc litem dirimere aut constituere, a quibus partibus stare tutius sit, si quis ipsam Herodoti et reliquorum, qui cum eo sentiunt, narrationem accuratius contemplantur. Nemini enim obscurum esse potest,

can

eam esse fabulosam, et quis scit, annon de industria fabulis involuta sit, cum constet, veteres narrationibus suis de origine et natalibus eorum, qui regna et urbes condiderunt, multa mirabilia addidisse, ut aliquid divini continerent, magnisque illis viris tanto major inde dignitas conciliaretur? Et cum praeterea Herodotus in aliis multis historiae suae locis nimiae credulitatis suspectum se reddiderit, haud inique suspicari possumus, eum etiam in narratione de Cyro fabulis temere fidem habuisse. Xenophon autem de ortu, educatione, rebus gestis et morte Cyri talia tradit, quae cuilibet non mirabilia, nec incredibilia, sed ad usitatum naturae cursum accommodata videbuntur. Ad haec eum Philosophiae sobriae perquam peritum, genuinum Socratis discipulum et tempore Cyri junioris inter Persas diu versatum, non vera modo de Cyri vita et rebus gestis accepisse, sed et vera a falsis discernere potuisse, et in discernendis illis plurimum studii collocasse, ut ubique, quod ad veritatem proxime accederet, de Cyro posteris traderet, merito putandum est. Huc accedit, quod in aliis scriptis historicis, ubi de Cyro minore, et de rebus Graecorum post Thucydidem egit, eum quam maxime veritatis studiosum fuisse appareat. Plura ad fidem ejus a criminationibus vindicandam adferre, nec instituti ratio permittit, nec opus est, cum Cl. Hutchinsonus, scriptorum Xenophonteorum editor doctissimus in Dissertationibus duabus de Xenophonte, ejusque scriptis, praesertim de Cyropaedia, Cyro, et institutis Persarum idem copiosius egerit.

Ceterum, quanquam Xenophontem de Cyro ad historiae fidem ita scripsisse, ut potiora de vita Cyri capita nihil falsi contineant, certo credimus, non tamen ideo putamus, singula, quae Cyrus aut dixisse, aut in administratione regni sui instituisse a Xenophonte dicitur, ad verbum talia esse, qualia in Cyropaedia legimus. Non enim obstat, quo minus existimemus, historicum Atticum vitam Cyri eo potissimum consilio scribendam sibi delegisse, ut sub persona hujus regis simul imaginem regis sapientissimi, et pacis pariter atque belli artium peritissimi nobis offerret. Idem Cicero verbis supra adlatis, ubi librum Xenophontis omnium manibus evoluendum esse censet, significare voluisse videtur; Et quis putet Cyrum sermones illos, quos in Cyropaedia legimus, ad verbum sic habuisse, cum nemo ignoret, historicos saepissime orationes satis copiosas scriptis suis inseruisse, non a personis, quas descriperunt, habitas, sed a se fictas? Vtrumque vero facile locum habere potest, Xenophontem partim Cyri ortum et res gestas describere, partim sub vera ejus historia docere voluisse, qualem populorum rectorem in pace belloque esse oporteat. Quod quidem ita facit, ut Socratis, praeceptoris sui, morem secutus per vices interrogando et respondendo verum lectoribus offerre soleat.

Quam

Quam eleganter Xenophon id praestiterit, unusquisque librum lecturus facile deprehendet. Cum vero praecepta, quae Xenophon ad instruendum principem et regem futurum adfert, omnia prorsus egregia sint, tum praestantiora reliquis videntur illa, in quibus de Cyro inde ab adolescentia sua et in primordio rerum suarum religionis perquam studioso loquitur. His quidem accuratius considerandis paulisper immorari non iniquum videbitur, cum in locis quibusdam plurima minus vulgaria occurrant, et pleraque sint ejusmodi, quae ad nostros etiam juvenes de deo rite colendo monendos, et ad vitam ex praecipis religionis instituendam excitandos multum valere possint.

Pertinet huc locus in L. I. C. VI. ubi Xenophon refert, Cyrum antequam cum exercitu e patria in bellum egressurus esset, ante omnia diis sacrificasse, et ei cum patre domo exeunti fulgura et tonitrua boni ominis apparuisse; Quae quidem signa de coelo oblata scriptor Graecus *σημεία* appellat, eodem vocabulo quo sacrae etiam litterae res extra naturae ordinem oculis auribusve oblatae appellare solent. Postea pater dicit, se magno studio divinandi artem ex sacrificiis et signis coelestibus filium docuisse, ut ipse sine interprete voluntatem deorum intelligeret, nec semper ab hariolorum vel augurum, qui ipsum fortasse decepturi essent, arbitrio penderet. Utitur hic Xenophon (ut in gratiam tironum elegantiora loci verba indicemus) verbis *ἐπὶ μάντεσιν εἶναι*, voculam *ἐπὶ* cum dativo et verbo Substantivo conjungens sane eleganter, ut significet, *in alterius potestate esse, ab ejus arbitrio pendere*. Eadem vocula est L. I. C. 3. in formula *ἐπὶ σοι εἶσαι* (*in tua potestate erit, es soll in deiner Gewalt stehen, auf dich ankommen*) et infra L. IV. C. 5. cum verbo *γίνεσθαι* conjungitur, ubi Cyrus custodes collocari jubet *ἐπὶ τοῖς ἐφ' ἡμῶν γυγνομένοις*, *ad res, quae sunt in nostra potestate, vel in nostris manibus*. Ceterum ex his verbis non sine causa colligitur, Persarum reges et principes jus circa sacra in terris suis habuisse et exercuisse. Quod nisi haberent, cur augurum artem discere necessarium putarent? Neque vero apud Persas solos, verum etiam aliis in populis reges simul sacerdotes aut religionis praefides fuisse constat. Quid? quod dignitas sacerdotalis olim tantum ap. eos valuisse videtur, ut sacerdotes quam principes appellari mallent. Hujus rei exempla etiam in sacris litteris adsunt, siquidem Iethro, Mosis focer, non princeps, aut rex, qui tamen sine dubio fuit, sed sacerdos terrae Midian appellatur; Et Chryses insulae Chrysaee in mari Aegeo sitae dominus ap. Homerum semper sacerdos nuncupatur. Alii utrumque, et regis, et sacerdotis nomen usurparunt, unde *Melchisedek*, rex Salem, et sacerdos altissimi 1. Mos. XIV, 18, *Anius* rex insulae Deli simulque sacerdos Apollinis post excidium Trojae ap. VIRG. *Aen.* III. 8. et ap. eundem L. IX. 327. *Rhamnes* Rex idem et regi Turno gratissimus augur fuisse dicitur.

Ap.

Ap. Graecos in univcrsum inde ab omni antiquitate regalem et sacerdotalem dignitatem in eadem persona unitam fuisse ex HOMERI *Iliade* multis exemplis confirmatur. *Agamemnon* rex Mycenarum, idemque dux Graecorum Trojam oppugnantium in sacrificiis publicis semper sacerdotis munere fungitur, Il. γ. η. cet. *Peleus* Achillis pater in regno suo sacerdotem agit, Il. λ. filiusque *Achilles* in bello Trojano sacrificia offert, Il. ψ. Post id tempus ap. Lacedaemonios non alii fuisse videntur publici sacerdotes praeter reges, qui teste PLUTARCHO in *Lycurgo*, et XENOPHONTE *de Rep. Lac.* p. domi, p. apud exercitum publica sacrificia obtulerunt. Apud Romanos autem Romulus religionem in urbe a se condita ad exemplar Graecorum instituens, praesertim regi hoc jus servavit, ut sacris praeesset, et ut omnia ad deorum cultum necessaria per ipsum ordinarentur. *Dion. Hal.* II. §. 13. Post eum Numa caput religionis fuit, qui tum sacerdotia, tum alias cultus divini partes instituens varios de religione libros scripsisse dicitur, quos cum ipso sepultos esse legimus. Ipsos reges Rom. quaedam sacrificia administrasse vel ex eo apparet, quod post reges exactos *rex Sacrorum* creatus est, ne rex, publica quaedam sacrificia offerre solitus, desideraretur. Igitur pari modo ap. Persas rex sui regni sacerdos aut saltem sacrorum et universae religionis moderator, eaque de causa rituum sacrorum gnarus fuisse videtur, quapropter Cambyses filium artem augurandi docuit, et filius sacris ipse ap. exercitum praefuit.

Sequitur altera loci Xenophontei pars, eaque longe praestantissima de cura patris in filio de rebus sacris erudiendo, et reverentia erga deos illi commendanda, ubi simul confirmatur omnem vitae prosperitatem unice a religione pendere, et sine ea preces ad deum nihil valere. Cum enim Cyrus jam ante Cap. 5. milites sic adlocutus esset: „At enim ea de causa vel maxime bono animo esse „possum, quia intentiore cura deos colui, antequam expeditionem hanc in bel- „lum paravi,“: Nunc Cap. 6. ita ad patrem: „Memini me, inquit, olim ex „te audire, non abs re illum a diis pariter et hominibus tanto certius, quae petat, „impetrare, qui non tum demum, cum in difficultatibus versetur, aduletur, sed „cum prosperrima sorte utatur, tum vel maxime deorum meminerit,“ Cui pater respondet, filium nunc quidem propter hanc dei reverentiam tanto libentius deos precibus aditurum, quia tanto certius speret, fore, ut nanciscatur, quae petat, quoniam conscius sibi sit, se nunquam deos neglexisse. En doctrinam nostrae conformem, eum nempe solum laetis precibus ad deum accedere, qui nullum divini cultus neglectum sibi exprobrare possit. Annotari meretur his in verbis formula *πρακτικὸς παρὰ τῶν Θεῶν, καὶ παρὰ ἀνθρώπων*, qui a diis et hominibus accipit, quae petit. Cum qua convenit alia eodem in libro paullo infra: *διαπραΰσται παρὰ τινος, ἢ Βελομέδα*, et contrarium eleganter exprimitur unico verbo *ἀτυχεῖν*, s. *ἀπρακτεῖν παρὰ τινος*.

Addimus

Zd 6232 OK

X 3073997

Addimus ultimam hujus loci partem, praeclarum cognitionis et philosophiae Xenophontae specimen, ubi fingit philosophus Socraticus (nam totum colloquium inter patrem filiumque eum ornatus causa fluxisse quis neget?) Cambysem post commendatas preces filio justam in curandis muneris sui partibus diligentiam commendasse. Nimirum dicit, homines probe discentes ea, quorum curam ipsis dii tradiderint (sic enim intelligo verba ἀπερ δεδωκασιν αὐτοῖς sc. μαθητῶν, ex seq. μαθήρας) melius res suas gesturos, quam si eorum sint ignari, et laborantes plus proficere, quam socordes, et solliciti sua agentes tutiorem vitam agere, quam si negligenter et incaute agerent. His addit, „tum demum homines, cum tales se praebuerint, quales debeant, a diis etiam bona precibus expetere debere. Non enim aequum et consentaneum esse, equestrem victoriam a diis precari, si quis non didicerit equo vehi, aut eum, qui arcu ferire ignoret, arcu superare ejus gnaros, aut qui gubernaculum regere nesciat, optare, ut naves gubernando fervet, aut qui femina spargere neglexerit, optare bonum sibi frumentum nasci, aut salutem in bello precari, qui sibi ab inimicis non caveat. Haec enim omnia contra leges divinas esse. Qui autem ea, quae non fas sit, optet, eum pari modo a diis non impetrare, quae petat, quo ab hominibus non impetret, quae praeter jus et aequum possulet.„ His verbis noster, quem propter elegantiam scribendi Cicero jure apim Atticam appellat, praeclare necessitatem laborandi cum necessitate precum conjungit, et recte preces irritas declarat, si quis in vitae suae genere non justum laborem exerceat. Utinam juvenes nostri inde cognoscant, quam verum et salutare sit illud tritum praeceptum: Ora et labora!

Supereest, ut liberalitatem b. defuncti *Io Christophori Richteri* laudibus debitis celebremus, qua popularibus suis ex schola in Academiam abeuntibus viaticum legavit, cujus particeps per indulgentiam Superiorum hoc tempore est

GEORG. FRIDER. TZSCHOEKELIVS,


Freybergensis,

qui oratione latina, de *origine et natura artium et disciplinarum* gratum animum ob acceptum beneficium testabitur, et carmine Germanico nostris Musis valedictet. Abeuntem bonis votis prosequetur

IO. SAMVEL GOEBEL,

Ruppendorf,

orationem vernaculam *de gloria per artes et litteras elegantiores sine periculo paranda* pronuntiaturus. D. Freybergae, Id. Mart. A. S. MDCCLXXXI.



Vb 78

m.c.



ak. 26747

Z d
6232

AD

ORATIVNCVLAM,

IN MEMORIAM

IO. CHRIST. RICHTERI

AVDIENDAM,

INSPECTORES ET FAVTORES SCHOLAE

ENDOS,

ERABILEM,

ICHTERVUM,

AE PRIMARIUM,

INSPECTOREM

GENSIS,

INVITAT

ICVS IVINGERVS,

ANIS.

